

vigilia linteo inuolutum, ac lapidiis
bus appensis degrauatum, quo ad ima
descenderet, à nautis iniicitur in pro-
fundum. Itaque, quantumuis propinquus
terræ sanctæ, nec viuus tamen
nec mortuus hanc attigit. Nos post
cœnam iam terræ continentis exo-
ptatae propinquantes ac lætitia exul-
tates, canticum Te Deum laudamus,
& Salve regina cecinimus. Ad hæc
preces pro defuncto, ut moris est Chri-
stiani, exoluimus. Verum, quoniam
nimium ad dextrā flexeramus, regio-
nis ac littorum rudes & ignari, ne for-
tes scopulis, oræque ignotæ nauem illi-
deremus, (nec enim nautarum quis-
quam ad hæc loca antea venerat) sub
noctis crepusculum anchoris iactis ea
nocte quietuimus.

CAPVT. VII.

DODECIMO Kal. Septemb.
leuatis ancoris, secundū litus
nauigantes, sub prandium
Fij Ioppen

*Ioppe prima
palastine
vrbis.*

Ioppen, primam vrbem Palestinae,
Dei gratia adiuuante, applicuimus.
Hic ad 1000. passus à portu iactis an-
choris consedimus. Paulo post Nau-
clerus cum aliquot è suis consensa
scapha Ioppen se cōfert, literas Guar-
diano Minoritarum montis Sion in-
de missurus, vt is aduentu peregrino-
rum præsidi Hierosolymitanæ vrbis
indicato, falcuteq; nobis ad terram
descendēdi impetrata, simul misso ex
more comitatu, de omnibus certiores
nos faciat. Necq; enim absq; litteris,
quas saluum conductum vocant, tu-
tum cuiquam pede terram contingere.
Nauclerus igitur salutato guber-
natore Ioppes, hominem cum Turcis
aliquot Iudæis ac Mauris, in nauim
nostram deducit, atq; excipit pran-
dio, qui de more Turcarum, solus cal-
ceis exutis, humili contractis tibijs resi-
dens, satis honestè in prandio se gere-
bat : aliis vero Mauritanus genere,
præterquam quod inter prandendum
potabat egregie, etiam nonnunquam

hilarior

*Turcæ pran-
dantis ritus.*

hilarior cantillabat. Sumptis epulis,
ac prandio finito, calceisq; rursum in
pedes inductis, cum sodalitio Guber-
nator abscedit. His ita actis, cum otio-
si nos essemus, ne nihil ageremus, astā
tibus cunctis vectoribus, defuncti he-
reditatem informam inuentarij redi-
gentes, etiam nonnulli nostrum, tan-
quam testes, nomina subscriptimus.
Sed quia intestatus decesserat, Nau-
clerus vniuersa bona, etsi nonnullis
reclamatibus, penes se retinuit: erant
autem pecuniæ satis multæ & aliæ res
præclaræ, ut moris est peregrinorum,
præsertim diuitum, in quibus & hic
erat.

Vigesimo secundo Augu. die otiosi
expectabamus non sine tædio, quod
nauis hic inde ventis immodicè agi-
tata multis alioqui debilibus stoma-
chi nau seam, aliasq; ægritudines con-
citaret. Die in sequente sub auroram,
Thomas Ianseos de Gande, 30. annos ^{Mors alter-}
natus, Hollandus, ex posteriore soda- ^{rius peregrini-}
litio (etsi nobiscum in peregrinatione ^{ni.})

F iij Laure-

pheta Hieremia denominatum perue-
nimus 11000. pass. vbi templo ruino-
so satis amænus fons adiacet , cuius
gratia & nos illic ientaculum (vino
nostro iam deficiente) celeriter sum-
psimus. Deinde asperrimo montano-
que itinere procedētes, in medio qua-
si itineris castellum Emaus , diuinis
celebratum litteris 2000. pass. à sini-
stra ostenderunt. Emaus.

CAPVT VIII.

TAQVE tandem hora meri-
diana ad Hierosolyma opta-
tissima peruenim⁹. 9000. pas.
ibi mœnia à dextris circumumeentes,
in montem Syon ascendendo , apud
Minoritas consedimus. Nunc extra
mœnia cœnobium hoc situm, cū olim
tamen & mons Syon totus & circum-
iacentia, oppido inclusa essent (Regiæ
enim ædes Dauidis monti huic super
instructæ erant, vbi nunc Francisca-
norum habitatio est) Cœnobitis itaq;
peregrino,

peregrinorū pedes subito lauantibus,
interq; lauandum p̄e gāudio psallen-
tibus, satis humaniter excipiebamur :
qui statim prandium vniuersis pere-
grinis opiparum exhibuere : quo
peracto, gratiaq; omnipotenti habita,
Guardianus oratione habita hunc fe-
rē in modum differuit. Duplīci de cau-
fa peregrinos Hierusalem aduentare
solere, primō, optimo Zelo quosdam
adduci, terram sanctam, quam Chri-
stus proprijs pedibus calcavit multaq;
illuc ad salutem fidelium operatus est,
tantū religionis gratia inuisendi: de-
inde quosdam esse cupidos multa pe-
ragrandi, plurimarumq; rerū habēdi
notitiam (cum Aristotele teste omnes
natura scire desideremus) qui hanc
peregrinationem ideo potissimum su-
scipient.

Cæterum seminime dubitare nos
deuotionis causa adesse: itaq; se suade-
re ut quo commodiis certiusq; inten-
tioni morem geramus, SS. sepulchrū
cæteris cū locis sanct. dignius maio-

ricq;

riq; fructu adēamus, Confessione ve-
tus fermentum expurgemus, secundū
D. Paulum , electis confessoribus pro
arbitrio nostro , qui nos ab vniuersis
peccatis delictisq; absoluant, excepta
falsificatione bullarum Apostolica-
rum, siccq; , intercedente benignitate
diuina , digniores sacratissimum do-
mini corpus in salutem animarum su-
mamus. Cæterū cum populus Chri-
stianus bipartitus sit, scilicet Ecclesia-
stici & seculares , sacerdotes vniuer-
sos , vt priores, cū paucis nobilibus in
monasterio moraturos: libentius vni-
uersos peregrinos suscepturnū nī loci
angustię id vetarent impedirentq; : ce-
teros vero in aedib⁹ Annę, in vrbe pe-
nes mœnia, satis cōmodè, loci religio-
nisq; consideratione habita, futuros :
sed quo cōmodius id fiat, vnicuiq; sin-
gula stragula puluinariaq; prēbiturū:
omnibus autem peregrinis vinum pa-
nemq; abundē à conuentu suppedita-
tū iri; cæterum autem viciū nos emere
debere, coquum eorū singula in esum
commodum

commodū compositurū. Deniq̄e consuetudinis esse, vt tria conuiuia uniuersis peregrinis exhibeantur, primum quando eo conueniunt, alterum cum Iordanē, vel vallem Hebron petituri sunt, tertium cum discedunt. Se ergo primū exhibuisse, nosq; summopere orāre vt boni consulamus: quicquid vero singulis vel molestiæ vel negotiū acciderit indicemus, rogare: se enim omnibus nobis patrē quo ad defendendum, fratrem autē quoad familiaritatē fururū, factaç verbis his responsura haud dubiè promittit. Quæ certe singula, vt promisit, præsttit, & verbis facta non solum æquauit, sed etiam superauit. Nam cum nostrum nouem vno in cubiculo intra cœnobij septa satis commodè moraremur, cæterum res molesta esset, singula ad victum spectantia in oppidi maccello admodum longinquo comparare, præsertim & linguæ & morū barbarorum imperitis, & propterea à Dōmino Guardiano petijssemus, vt is co.

meatum

ficijç eximij hodie supersunt, & haec
causa extructi, quod illic pastoribus
gaudium verè magnū, scilicet Deum
in carnem mortali apparuisse, ab Ange-
lis nunciatum sit. Itaque redeuntes
Bethlehem, in medio quasi itinere sa-
cellum dirutum vidimus, ubi ange-
lus Joseph, ut assumpto puerō I E S V
matreque eius in Ægyptum ob He-
rodis iram secederet, admonuit. Cæs-

*Specus, in qua Virgo mater & puer Jesus las-
suerunt.* terum 14. passu. prope cœnobium in
Bethlehem, specus est satis intrinse-
cus ampla, strictiore tamen ingressu,
in qua Virgo mater infansque I E S V S
aliquot diebus latuisse referuntur, do-
nec in Ægyptum tutò proficisceren-
tur, in qua cauerna quod dominum
lactaret, lac sparsisse creditur, ex quo
& terra illa cætera aliquanto candi-
dior appareat: mulieribus sanè cum
lacte destituuntur, conferre dici-
tur ac mederi, ideoque peregrini pul-
uerem hinc ad domos suas referunt.
Porro in Bethlehem tam cœnobium
ipsum Minoritarum, quam templum

so.co.

30. columnis marmoreis eximia stru-
ctura ingentis sumptu erexit, à S.
Helena confecta sunt. Templi sane
fornices, picturæ, aureæ litteræ, tam
græcæ quam latinæ decorant: paui-
mentum autem marmore pretiosissi-
mo constratum est, & unde quaque
mirum in modum olim (ut facile ap-
paret) excelluit: cæterum nunc par-
tibus multis ruinosum, vergensq; in
ruinam, causaque in promptu, quod
olim Christiani principes plura quam
hodie has in structuras impendere
consueuerint. Ante annos à Duce
Burgundiae plumbeis laminis tectū
restauratumque fuit: at nunc iterum
plurimis in locis pluvijs est peruum,
vt nouo aliquo Duce ac Principe illi
simili indigeat. Sub choro crypta est,
in qua est altare erexit ipso in loco,
in quo MARIA virgo IESVM fudit in-
fantem. Prope altare ad dextram, &
præsepe ipsum cernis, in quo Rex re-
gū inter duo animalia reclinatus eo-
rum halitu aduersus iniurias hyemis,

H iij frigo-

*Templū Beth
lebemiticū
à s. Helena
constructum.*

*Locus in quo
Maria virgo
Christum pes*

*Præsepe Das
mini.*

20 PEREGRINATIO

frigorisq; molestias est recreatus: item
 in ultimo facelli angulo, foramē osten-
 ditur, vbi stellam (quæ tribus Magis
 eō proficiscientibus iter monstraret)
 disparuisse aiunt. Hic itaque perno-
 tantes perhumaniter à monachis su-
 scepti sumus. Hinc pridie Kal. Sept.
 post mediam noctem, meridiem ver-
 sus, per montana Iudeæ proficiscen-
 tes, ad vallem Hebron, & vallem Mairi
 bre deuenimus: ibi prope fontem quē-
 dam pransi sumus. A prandio in me-
 dio quasi vallis, agrum Damascenum
 (nunc feracissimis vitibus consitum)
 vbi primus homo Adam à Domino
 creatus dicitur, intrauimus. Terram
 hanc lōginquas in regiones tam cau-
 sa fertilitatis quam salutis deferri, ma-
 gnoq; venire sunt qui asserunt: hinc
 in collem supereminente aliquot
 passibus ascendimus, vbi Abraham
 tribus viis vnum adorauit, illisq; sub
 queru victum protulit, quū ad sub-
 uersionem quinque ciuitatum irent.
 200. pass. hinc piscina est sanè eximia,

in

*Vallis Hebrō
et Mambre.*

Ager damascenus.

vbi Abram tres videt et unum adorauit.

nobis dispendio maioric^p periculo fu-
it, cum citius (nauim ventis exponen-
do) minoric^p periculo in portum de-
Tempes tas uenissemus. Nauigantes itaq^p & con-
periculosa. trarius ventus & mare ipsum s^aeuens
nos hinc inde iactabat, et vt paucis di-
cam, in extremo periculo constituti
videbamur: quod vel hinc satis li-
quet, cum aliquot peregrinorum de
Confessio de peccatis confessione facta ad mor-
peccatis. tem sese preparauerint. Nos vero vni-
uersi ferè prostrati iacebamus, mise-
reque hinc inde iactabamur. 3. idus
Octob. circa meridiem aliquantulum
conquieuit tempestas, cæterum pau-
lo post pristino more s^aeuire cœpit, vt
æque ac prius imò ferè magis timere-
mus: quod vel inde colligitur, cum ali-
Votorum qui vota D E O nuncupauerint: iam
nuncupatio. enim vela vento omnino (inuitis
etiam nūnūm^p reluctantibus nau-
tis) commissa erant, qui nos maximo
impetu Alexandriam ferebat: quare
medio ferè in mari maiorem in modū
procellæ commouebantur, quarum
cum

cum vna præter cæteras mira altitudine rectâ nauim versus veniret, à Gubernatoreq; præuideretur, isq; de salute actum crederet, præter opinionem tamen nauis medium secans, magnam aquarum vim ab utraq; parte recepit, quæ cubantibus molestissima accidebat. Semper verò nautæ insomnes, perpetuò infusam aquā haurire, velis regendis, officioq; faciendo operā dare. Porro quod sale nauis onerata non esset, haud dubiè salutis vniuersis fuit, cum cōspersum salaqua, in aquā continuo colliquescat. Itaq; pridie idus Octob. sub diei crepusculum Gubenerator aquam Iordanis, cæteraque locis sanctis, quæ habebatur, ut proferrentur sub excommunicationis pena iussit, prolataq; in mare proiecit. Nos verò semper magna violentia venti, uno eoc; minimo plerunq; veloferebamur, cum interim præter vinū, panem, & casei nescio quid, in victum nostrum nil superesset, quin etiam ipsam iam aquam defecisse, asseuera-

L. bant.

bant. Quare eodem die (qui Sabbathi erat) aliqui de nobis carnibus, obalaria- rum rerum penuriam, inuiti vesce- bantur. Idibus Octo, ventus aliquan- tulum mitius spirare cœpit, quod iam Africæ viciniores essemus. 17. Kalen. Nouemb. inter prandendum per ho- ram pluist, cum tribus mensibus, & eo amplius non pluisset. Toto igitur iti- nere semel & iterum duntaxat pluist: illis enim in regionibus pluiae sunt rarissimæ, ut toto anno interdum aut paucæ sint, aut nullæ. Aues vero ali- quot vistæ magno nobis gaudio fuere, existimantibus non multum à conti- nentibus abesse, quam à prandio ali- qui è summo malo, vesperi omnes fa- cile vidimus. 16. Kalen. Nouem, ter- tia autem noctis vigilia, ancoras ieci- mus 10000. pass. terræ vicini, ab A- lexandria vero plus 26000. pas. ne lit- tori parum cognito temerè periculo- seq; impelleremur: nimium enim ad dextram ventus nos impulerat: sta- tim verò denuo nauigantes paulatim penes

In Africara-
rissimæ plu-
iae.

uis clandestinē mirè vino delectentur,
eocq; citius inebrientur, quod merum
creticum insueti bibant: nam ibi ne
vitē quidem villam vidimus, nedum
vinum Ægyptium. Templorum ve-
rō, camelorum, Christianorumq; qui
Christi fidem abnegarunt, & similiū
rertum, multi dum itinera perscribunt
sua, numerum quoque solent ponere,
quod mihi non probatur, cum certum
pro incerto haud dubie asserant. Est
autē templis mire refertum hoc oppi-
dum, & cum campanis minime vtan-
tur, campanilibus tamen, quę vocant,
simillimas turres, miræ altitudinis ha-
bent quam plurimas, musceis coniun-
ctas, aliquot ambitus siue circuitus ha-
bentes, in quos aliquoties eorū æditui
singulis diebus, designatis horis, ascē-
dunt, tam eorū sacra quā horas alta vo-
ce populo indicantes: eo enim clamore,
horologiorū instar, vtuntur, cū his
alias penitus careant. Media vero no-
cte ascendētes populū augendum in-
dicāt, vt eo crescente fides quoq; eorū

M iij mul-

Campanarū
apud Turcas
non est usus.

*Vxores ducē-
diratio.*

*Dies veneris
apud eos so-
lennis.*

*Quare tot ba-
ptizati Tur-
cicis ritibus
vivant.*

multiplicetur. Est præterea consuetudo, ut ducentes uxores, eas à parentibus earum veluti emant, quas deinceps repudiare, ac ceteris vendere pro arbitrio licet: uxoresq; nec non concubinas, quilibet pro facultate volunta-
tateq; habere potest. Hi diem Veneris, ut nos Dominicam, honorant, ita tamen ut nec à mercibus, nec ab operibus omnino abstineant, atq; adeo in Paschali eorum die apertis officinis merces vendant. Literis præterea hebraicis, linguacq; eorum multum degenerentur. Nulli adhuc Calcho-graphi adsunt: itaq; fidei nostræ schismata hinc procedere autumant. Cæterum quod maior horum est numerus, qui Christianis parentibus nati baptizati, à salutifera fide declinantes, perniciosam sequuntur, causam huius rei accipe: nam præter hos qui sponte se offerunt, eosq; quos in bellis captos CHRISTVM, vite periculo, quodammodo negare desererecq; cogunt, innumeros Christicolas, sub Turcæ imperio

cæpimus. Cæterum pro introitu 25.
medini, pro exitu vero 2.coron. tributi
causa, singulis exoluendi erant. Sic cū
singuli comites præsto essent, quorū
quingenti ferè, totidem aut pluribus
cum camelis, erant, præter asinos ali-
quot, & magnates milites, militumq;
duces, qui equis vehebantur. Cæterū
nostro itineri ceteris iumentis cameli
longe commodiores aptioresq; sunt,
quod laboris, inediae & præcipue sitis
mirè patiens sīt hoc animal. Nam & fe-
rè trina equorū onera facile ferunt sin-
guli, et pascuis asperrimis fruticosisq;
aut modica faba vescuntur, deniq; tri-
duo omni potu facile carere possunt.
Præterea hæ beluæ tametsi altissimis
pedibus tibijsq;, exili, longo incuruo-
que collo, ac paruo, sed truciori capi-
te, miroque clamore, feroces ignaris
primo aspectu videantur, præter opí-
nionem tamen videres mansuetas ob-
sequentesq;, que ad arbitriū vocemq;
dominorū in genua atq; adeo in ven-
trem sese demittunt, & pronæ humo
incubantes,

*Camelorum
descriptio.*

incubantes, commodissimè onerari
exonerarique consueuere, ac obiecta
pabula sumere dormireq.

CAPVT XVII.

Suēs oppidū. **V**m ergo iam nouilunium es-
set (ad lunam enim non tantū
profectiones, sed & negotia
omnia disponunt) 6. idus Nouemb.
vesperi ad 4000. fere pass. oppidum
egressi, sub dio inter camelos vesti-
bus nostris induiti pernoctauimus:
quod quidem & hic & toto itinere fa-
ciendum erat, magno nostro incom-
modo, cum meridiano sole quidem
viceremur, noctu vero obventus, ma-
xime autem Boream algeremus. In iti-
nere quidem, præter Suessonem, ma-
ri rubro adiacentem, & à via nostra
seiunctam, vix tres casulas vidimus,
nedum vlla diuersoria, adeo re & no-
mine hæc regio vere Arabia deserta
nuncupatur, cum præter montes fru-
ticesque, quibus tam pascuorum loco,
quam

Arabia de-
serta.

sub solis occasum ad aquā fortè 2 500.
pass. distantem in valle consedimus.

15. Kal. Decemb. tardius discedentes
valles largas, pascuacq; pro regione sa-
tis vbera, transeuntes, eo die montem
Synai S. Catharinę nobis ostēderunt.

14. Kal. Decemb. citissime surgentes
per valles satis pulchras fruticibusq;
refertas progredientes maturius soli-
to conquieuiimus, nō admodum lon-
gē ab aqua (maxime enim iter facien-
tibus fontes obseruandi sunt, quos bi-
duo & aliquando triduo vix affequi
viatores possunt) Ea nocte ignes gran-
diores ex fruticibus confecimus, cum
plerunq; lignis fruticibusq; in vniuer-
sum deficiētibus è camelorum colle-
ctis stercoribus focum Arabes foue-
rent, illisq; inūcientes iam confectam
è farina & aqua pastam, panes nostris
etiam delicatiores decoquerent con-
ficerentq;, eo tam encibo, & si quid à
nobis illis dabatur, parcissime fruga-
literq; vtentes. Nobis vero ad ignem
sedentibus media ferè nocte Arabs
quidam

quidam camelo insidens aduenit, qui fortassis infortunij crastinicausa fuit, quod aduentum nostrum cæteris prædonibus indicasset. Nam quamuis is à nostris ductoribus cognosceretur, benigniterç susciperetur, nihilominus tamen illi signis ostenderunt extingueendum esse ignem subito, né eminus visi aliquibus prædæ essemus. 13.
Kal. Decem aliquantulum cum discederimus, pluebat: nos vero iam hilariores (quod monasterio vicini omne ferè periculum euasisse arbitraremur) in miseras maximas incidimus. Nam de improviso prædones nos crudelissimè non admodum longe à cænobio inuaserunt. Hi tres è nostris adorti, subito è camelis descendere cogentes, vnum verberibus cæsum statim quidem dimisere, aliud vero, cum vi ablatam culcitrā recuperare eosq; etiam insequi ausus fuisset, aliquanto peius tractauere, cultros pugionesq; iugulo obijcientes, vt is reluctando vtcunque, vix tandem periculum euaserit:

N īj nam

nam postea comperimus utrem no-
strum (ex pelle caprina, aquæ vehen-
dæ causa, factum, quo hic veluti
scuto clypeoue in protectionem sui
vtebatur) ab illis nebulonibus ali-
quoties gladijs perforatū fuisse. Ter-
tium autem longe acerbius immani-
usque accipientes, saeuissime cæsum
vesteque spoliatum dimisere, seque
ad alium contulere. Cæterum prior
profecto cautior cum duos loculos
haberet, alterum auro refertum sub
genu abscondit, alterum, quod vi-
lem admodum monetam contineret,
in sinu reseruauit. Vix id confece-
rat, cum prædones alio relicto nequa-
quam veste contenti iterum atrocius
hunc inuadunt, iam pugiones cul-
troſq; acriter intendentes, nunc ver-
berantes & barbam vellicantes, testi-
culisque comprehensis mire crucian-
tes, ac demum in aëra subleuatum
(quod ijs in vicinos montes portare
eum volentibus grauior esset) atrocι-
ter in terram deſciunt, subitoque ve-
ſtibus

stibus exuere, penitusq; spoliare, quo
melius inquirere nummos possent,
proponunt. Cum itaque iam ad in-
dussum ferè exutus esset, continuo sa-
tis prudenter eduxit bursam vilio-
rem, illisque porrexit obiecitq;. Cæ-
terum latrones se iam quod quæsijs-
sent adeptos opinantes, illum semi-
nudum relinquentes nonnihil seces-
sere, quos nostrorum ductorum ali-
qui comitati sunt, qui quamuis nos
aduersus illos defendere videbantur,
& propterea vestem laceratam quo-
que ab illis vi ablatam Domino resti-
tuissent, tamen nequaquam omni
suspitione carebant, quin si maiorem
prædam illi nacti fuissent, & hi quo-
que spoliorum participes crederen-
tur, adeo nullis penitus fidendum
erat. Cæterum cum prædones num-
mos viliores monetamque incognis-
tam præter opinionem reperissent,
loculum primo cum aliquot nummis
per ductores nostros reddiderunt, ac
deinceps alias pecunias redimendas

Nisi eidem

eidem præbuere, causantes se se id à nobis, nescio quo tributi iure extorsisse. Porro si reperissent aurum, timendum erat ne & illi nihil restituissent, & nobis omnibus euidentissimum periculum adeundum in reditu fuisset, quod omnes nummosos estimantes, haud dubie vniuersos omnino expoliassent: sicq; miseri timidi que iter agentes, cū his resistere, quod numero facile ac vi superabant, minime consultum videretur, meridie ad monasterium peruenimus.

CAPVT XVIII.

*Monasterij
S. Cathari-
nae situs.*

VIUS autem situs non valde amænus est, quod strictissima in valle tribus montibus altissimis à totidem ferè mundi plagiis cingatur: is qui abortu, cæteris submissior remotiorq; est, ab occasu vero hortum satis amænum habet in valle equo angustiore, per quam Alcairum itur, qua & nos accedentes per huma-
niter

media nocte vado hæsimus, & cum 8.
horis sic retenti essemus, vix tandem
6. Kalend. Februar. solutos violentif-
simus subito ventus excepit, progre-
dique vetuit. 5. Kalen. Febru. vento
parum subsidente, nunc nauigantes,
nunc ripæ adhærentes, parum admo-
dum profecimus: noctu tamen felici-
ter cum nauigassemus, 4. Kale. Febr.
orto sole Fuam appulimus: quo ex lo-
co vesperi cum soluissemus, secundo
ventovsi, 3. Kalend. Februar. sub au-
roram Rossetum peruenimus. Ibi
cum litterasquasdam Consuli adhuc
lecto incumbenti traderem, ab eodem
remoratus adeo sum, ut asinus con-
scendendus mihi fuerit, qui parum
progressus statim ita viribus defecit,
ut pedibus incedere me coegerit, ac
socios, meo quidem periculo, relin-
quere. Itaque statim ad iniquos tri-
butorum exactores deueni, qui lon-
gè plus iusto, quod solus essem ac lin-
guæ ignarus, extorsere, ac ne eo qui-
dem

dem contenti, eorum' e numero vnu
me insecutus (non sine etiam vitæ
periculo) adhuc plus exegit. Porrò
ego id quod euenisiebat suspicat', iam
antea nummos aliquot se posueram ,
quos cum omnes illi tribuisse, cru-
menam iam inanem ostendi, demon-
strans, nil pecuniarū superesse, quod
mihi maximè saluti fuisse arbitror:
nam robusto admodum corpore erat,
ac præter ingentem baculum, quem
penes se habebat, cultrum quoq; ma-
nibus cōtrectans mire mihi appropin-
quabat : ego vero ne cultello quidem
armatus, omnem in De ospem ac ra-
ris admodum lapidibus habens , quā-
tum poteram secedebam, ne omnino,
improuidum preueniendo, trucida-
ret. Cæterum istandem (quod pe-
cunia vacuum & vel cultello aliquan-
tum armatum iudicaret) me reliquit.
Iam vero hoc defuncto discrimine, ac
plus satis defatigato , non absque
summo vitæ periculo iter mihi reli-

P ij quum

quum faciendum erat, hoc præcipue
nomine, quod pagi perplures ac ten-
toria percurrenda necessario forent:
sed ecce medio quasi itinere cum as-
nus (quod illum ascendere dum vel-
lem, ex consuetudine humi decidisset)
& ego pariter lassus, quiesceremus,
Turci quidā, qui nostra in nauī Ros-
setum nauigauerant, ex improviso ad
ueniunt, qui me cognoscentes, peri-
culumq; soli in itinere cubanti dormi-
entiq; demonstrantes, facile vt me illis
coniungerem persuasere, asserentes
se statim quieturos ac crastino matu-
rè profecturos, quibus ego fidem ad-
hibens (cū homines fide digni viderē-
tur) præter vires ferè illos insequor:
sed hi velocitate vsi ad Alexandrina
vscq; mœnia media nocte peruererūt,
incq; suburbanis ædibus quieuerunt:
ego verò ita lassus, vt alias nunquam
magna etiam siti laborans, inter cœ-
nandū plus æquo aquæ cùm bibissem,
totamq; noctem vento expositus dor-
miuisssem; perniciösissimam tussim fe-
bremq;

bremqe contraxi. Itaqe pridie Kalend. Febr. statim atqe portae sunt patefacte, oppidum subiuimus, vbi in Gallorum ædibus, in quibus sarcinas deposueramus, commodissime sanè commoratus fuissem, niægritudo me incommodè vexasset. Huc accedebat, quod Alexandrinum cœlum satis, præser-tim laborantibus, incommodum es-set: quod ego considerans, quam pri-mum rebus compositis abire maxime desiderabam: & nauis Ragusea, Mes-sanam, Sicilię urbem metropolim, pe-titura, commodissime (cum illō na-uigare desiderarem) iam parata, vt nil nisi ventum expectaret, forte aderat. Ideo Kal. Febr. de naulo vt transige-rem, nauarchum adire volui, à quo animo non satis æquo auditus sum, cùm quod tardius venissem, tum quod iam soluturus esset. Sic ergo (quamuis de pretio nondum prorsus conuenerat) domum propero, venditaqe subi-to arca, ad abitum quàm celerrime me compono, ac, adiuuantibus etiam so-

P iñ cñs,

cījs, ad nauem pergo: sed ecce cūm ad portum venissem, illa iam vela ventis commiserat, discesseratque. Hic ergo, vt par erat, non nihil angebar animo, quōd hanc discedendi opportunitatem amissem, ac ob aduersam valetudinem periculose naues cæterę (Venetias ituræ) expectandæ essent. Sed ecce ea nocte ventus mirè his aduersus oboritur, ac postero die Alexandrinum portum repetere coégit. Qua re audita gaudebam, quōd Deus me cum eadem naui discedere velle videretur. Pro naulo itaque duos coronatos statim exolui, ac rebus compositis in nauem me confero: in portu tamen ventum aliquot diebus expectauimus: quatuor sodales alios ibidem reliqui, quod illis Venetias nauigare magis cordi esset.

CAPVT